

nec id prohibetur. Sed non licet eorum cæremoniis proprie religionis, seu quæ ad Fidem spectant, interesse, ita ut catholicis cæremoniæ veluti religiosæ particeps fiat; quia esset cooperatio in re illicita. Constat etiam ex sequenti Decisione S. Officii, 10 Maii 1770 :

« Sanctissimus decrevit catholicis *regulariter non licere* hæreticorum « aut schismaticorum *concionibus, baptismis et matrimoniis* interesse; « *absolute autem non licere nec per se, nec per alios fungi officio patrini* « *in baptismis quæ hæreticorum filiis ab hæreticis ministrantur.* » Animadvertendum est, per illud *regulariter*, S. Officium innuere ne permitti quidem ejusmodi assistentiam, civilis tantum obsequii gratia, nisi adsit aliqua gravis causa.

201. — R. ad 3^m Quærs. LEONARDUS non peccavit *per se* comitando, saltem extra eorum templa, funera hæreticorum, secluso præcepto particulari, quo id prohibeatur; quia hæc proprie ad Fidem non spectant, et reputantur obsequium mere civile. Secus dicendum de assistentia baptismo, cœnæ, etc., quia cæremoniæ illæ religiosæ sunt. Intellige tamen hoc sensu, si non ut merus spectator astiterit, sed veluti religiosæ cæremoniæ particeps, aut civilis obsequii gratia, sine gravi causa. V. *Comp. n. 192.*

2^o LEONARDUS non peccavit contra Fidem, sermones hæreticorum audiendo, et tacendo; quia nullum consensum iis præbuit. Sed potuit peccare contra obligationem de jure naturali defendendi Religionem, si respondere potuit. Cuilibet enim catholico incumbit obligatio defendendi Religionem contra hæreticos et impios homines. Verum, si successum non speraverit ex suis responsis, tacendo prudenter egit, modo cum hæreticis connivere non visus fuerit. Præterea sufficiens etiam tacendi ratio esset metus ne hæreticus pejor fiat, etsi confutari posset.

Imo LEONARDUS omnino tacere debuit *per se*, si fuerit indoctus, quia laici sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ prohibentur a disputatione cum hæreticis et infidelibus, ex Decreto *Alexandri IV, in Sexto, l. 5. tit. 2, cap. 2.* Excipiunt vero Theologi, seu interpretes juris, casum necessitatis, in quo laicus sat doctus, deficiente Clerico capaci, Fidem a diceriis hæretici vel increduli defendere potest. Tunc enim loqui tenetur ob proximi salutem et Fidei honorem. Ita *Antoine, tom. 2. — Bouvier, de primo præc. Decalogi, etc.* Dicit etiam *Antoine, ibid., cum Ferraris, verbo Fides, 40,* hanc prohibitionem per contrariam consuetudinem abrogatam esse in regionibus in quibus hæretici cum catholicis miscentur.

202. — R. ad 4^m Quærs. *Neg.* Ratio patet; esset enim communicatio cum hæreticis in re ad Religionem pertinente, et cooperatio proprie dicta.

Constat etiam ex sequenti responsione S. Congr. *Inquisitionis*, die 15 Mart. 1848 :

« BEATISSIME PATER,

« D. N..... Sanctitati Vestræ humiliter exponit, quod in civitate M..... « existat hospitium cujus ipse Rector et Capellanus est, ac in quo infirmo- « rum curam gerunt Moniales dictæ M. N. Cum autem in hoc hospitio « subinde recipiantur acatholicæ religionis sectatores, ac iidem ministrum

« hæreticum, a quo Religionis auxilia et solatia recipiant, identidem pe- « tant; quæritur utrum præfatis Monialibus falsæ religionis ministrum ad- « vocare licitum sit? Quæritur insuper utrum eadem danda sit solutio, « ubi hæreticus infirmus in domo privata cujusdam catholici degit; utrum « scilicet tunc catholicus ministrum hæreticum advocare licite possit?

« FERIA IV, die 15 Martii 1848.

« In Congregatione generali S. Rom. et universalis Inquisitionis ha- « bita in conventu S. Mariæ supra Minervam coram Emin. et Rever. S. « R. E. Cardinalibus in tota republica christiana contra hæreticam pra- « vitatem generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter « deputatis, audita relatione suprascripti supplicis libelli, una cum voto « DD. Consultorum; iidem Emin. et Revend. Domini dixerunt: *Juxta* « *exposita, NON LICERE; et addiderunt: Passive se habeant.*

« † Loco sigilli.

« ANGELUS ARGENTI,

« S. Rom. et univers. Inquisit. Secretarius. »

(*Mélanges théologiques. Liège, 1848, tome 2, page 86.*)

CASUS VIII.

DE SPE 1^o.

ARGYRPHILUS, divitiis et vitæ præsentis tam perditæ addictus est, ut de nulla alia re cogitet, nisi de thesaurizando super terram. Millenis annis, imo perpetuo in terris degere exoptaret. Cum autem, ingruente morte, meliora cepisset consilia, in cœlestem patriam tandem respicit. Sed ecce! multitudine peccatorum terrefactus, judicium futurum adeo formidat, ut de misericordia divina consequenda jam desperet, et vix a Confessario erigi possit.

HINC :

QUÆR. 1^o *An graviter peccaverit contra Spem ARGYRPHILUS, hisce terrenis desideriiis?*

2^o *An graviter etiam peccaverit contra nimio timore?*

SOLUTIO :

203. — R. ad 1^m Quærs. *Affirm.* Etenim peccavit graviter ARGYRPHILUS contra virtutem Spei, quia res temporales constituit tanquam finem suum ultimum veramque beatitudinem, cum eas Deo ipsi anteponat, volens, ex inordinato creaturarum amore, Deo carere. *Voit, n. 38.*

R. ad 2^m Quærs. Iterum contra Spem graviter peccavit, si desperationis tentationi perfecte consensit, seu si deliberate omnino de salute desperavit. Secus, si desperatio imperfecta fuerit, vel si, non diffidens de misericordia divina, timeat ne peccata defectu contritionis non fuerint remissa, vel ne cadat in peccatum propter cognitam suam fragilitatem, modo timor non sit immoderatus. *Voit, n. 391.*

CASUS IX.

DE SPE 2°.

MELANIA : 1° diuturno morbo afflicta, per plures annos sanitatis restitutione efflagitata, nec obtenta, animo concidit, et hanc gratiam postulare desinit, existimans Deum ejus preces exaudire nolle; 2° alias, impellente tentatione, in peccatum incidit intra se cogitans : Peccatum confitebor, et Deus summe bonus veniam mihi concedet; 3° recurrente autem eadem tentatione, denuo peccat dicens : Tam facile est declarare in confessione peccatum pluries commissum, quam semel patratum.

HINC :

QUÆR. 1° *An MELANIA graviter peccaverit contra Spem cessando ab oratione, ob animi dejectionem, in primo casu?*

2° *An graviter contra Spem egerit peccando ob spem veniæ in secundo casu?*

3° *An etiam peccando denuo, quia tam facile accusatur peccatum iteratum, quam semel commissum?*

SOLUTIO :

204. — *R. ad 1^m Quæs.* Distinguendum est. MELANIA graviter peccavit contra Spem, si ideo cessavit orare, quia Deum immisericordem erga se judicavit, aut quia existimavit Deum, bonum aliis, sibi soli esse rigidum et austerum nimis, ita ut neque parcere, neque auxilia præstare velit. Si vero ex inordinata quadam tristitia animo concidat, sed judicet Deum, ex secreto sapientiæ vel justitiæ suæ judicio, nolle ipsi sanitatem restituere, et propterea ab oratione cesset, non peccabit, ex eo quod orare omittat.

205. — *R. ad 2^m Quæs. Neg. cum S. Th., qui, 2, 2. q. 21, art. 2 ad 3, ait : « Peccare sub spe veniæ quandoque percipiendæ cum proposito abstinendi (seu non perseverandi in peccato) et pœnitendi, hoc non est præsumptionis; sed hoc peccatum diminuit, quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum. »* Hinc et *S. Lig. lib. 2, n. 11, post Sporer et Lacroix*, negat esse præsumptionis peccatum, si quis peccet ex passione, sperando concomitanter peccatum illud sibi remissum iri. Cæterum, etiam juxta severiores auctores tunc solum esset præsumptionis peccatum, quando divina misericordia esset motivum intrinsecum malæ voluntatis; non item quando habeatur tantum actus spei distinctus, prævius, concomitans et consequens; etsi actus ipse prævius removeat majorem timorem peccati, et sit per accidens occasio liberius peccandi, prout in MELANIE casu.

R. ad 3^m Quæs. Non commisit peccatum præsumptionis, quia tantum mota est ad facilius peccandum ex minori difficultate confitendi. Ideo sufficit ut peccatum accuset in confessione, quin causam referat. *V. Comp. n. 214. — Voit, n. 393.*

CASUS X.

DE AMORE DEI 1°.

COLUMBA, devota mulier, sic confitetur : O me miseram! Non amo Deum. Nullam vim amoris divini in me experior, licet pluribus horis in die orationi vacem, centiesque Orationem Dominicam recitem, et Communionem fere quotidianam peragam. Timeo ne præcepto amandi Deum non satisfaciam, et ne in pessimo animæ statu constituar. O si scirem modum Deum amandi! O felices illæ animæ quibus devotio, fervor spiritus, et divina Caritas insita sunt, quæque his affluunt et abundant! Heu! heu mihi! aruit cor meum, et sicut testa arida est anima mea. Nescio quo me convertam. Pater! miserere mei, et sanctam absolutionem mihi indignæ impertiri digneris.

HINC :

QUÆR. 1° *Quale sit præceptum amandi Deum, et quomodo ei satisfaciendum?*

2° *Quandonam urgeat præceptum Caritatis erga Deum.*

3° *Quid de COLUMBA, et an absolvi possit?*

SOLUTIO :

206. — *R. ad 1^m Quæs.* Præceptum amandi Deum est summum omnium aliorum et excellentissimum, ac finis omnium aliorum præceptorum, seu legis, ut liquet ex ejus objecto, atque ex verbis Christi, *Matth. 22. 37 : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est primum et maximum mandatum. Et ex verbis Apostoli, Rom. 15. 10 : Plenitudo legis dilectio.* Hinc concludat S. Augustinus : *Ama, et fac quod vis*; id est, adimpleto præcepto Caritatis non dabitur peccandi periculum.

207. — Objectum materiale Caritatis primum est solus Deus, quia Deus dignissimus est ut ad illum propter se et ultimo omnia referantur, et in ipso est primaria ratio movens amoris. Secundarium autem, nos et proximus, quia per Caritatem nobis et proximo volumus bonum propter Dei bonitatem, ut nempe Dei æstimatio et gloria augeatur.

Objectum formale, seu movens amandi Deum, est bonitas Dei infinita, seu infinitæ ejus perfectiones. Ratio est, quia propterea Deus amandus est super omnia.

Hinc patet quomodo præceptum Caritatis erga Deum adimplendum sit : etenim, quatenus *negativum* est, præcipit ne quid contra Deum fiat; quatenus vero *positivum* est, jubet Deum super omnia propter ipsum diligere.

208. — *R. ad 2^m Quæs.* Omnes quidem asserunt urgere præceptum actus amoris Dei eliciendi interdum, sed de tempore obligationis absolute determinando non conveniunt. *S. Lig.* probat opinionem *Cardenæ*, cui videtur actum Caritatis semel in mense eliciendum esse; multi tamen aliter sentiunt. *V. n. 187.*

R. ad 3^m Quæ. Non est dubium quin COLUMBA plene præcepto Caritatis satisfecerit; nam, cum sit devota mulier, satagit adamussim adimplere omnia officia fidelibus imposita, et proinde, implicite saltem, sæpius actus amoris elicere debet. Non potest autem absolvi propter defectum materiæ clavibus expositæ. Igitur, si absolute donari velit, aliquam materiam, saltem vitæ præteritæ, foro sacramentali subjiciat.

CASUS XI.

DE AMORE DEI 2^o.

CHRISTIANUS, quamquam vehementer abhorreat a peccato mortali, sæpe tamen leviter Deum offendit. Elicit equidem interdum actum Caritatis, verum non amat Deum propter ipsum solum, sed etiam intuitu divinæ mercedis, seu æternæ gloriæ. Admonetur autem a Confessario, se non adimplere obligationem amandi Deum ex toto corde; quia ad hoc non tantum vitanda sunt omnia venialia, sed actus dilectionis debet esse talis, ut Deus ametur propter ipsum solum, et proinde homo nullatenus motivo pœnæ vitandæ, neque præmii consequendi, moveatur. Hoc audito, CHRISTIANUS existimat præceptum amandi Deum perfecte, esse sibi impossibile.

HINC :

- QUÆR. 1^o *Quotuplex amor distinguatur? et qualis ad præceptum implendum requiratur?*
 2^o *An amor Dei excludere debeat omne peccatum veniale?*
 3^o *Quomodo elicendus sit actus amoris Dei?*
 4^o *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

209. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o Triplex amor distinguitur, videlicet : 1^o amor benevolentix, qui intendit bonum proprium amati solius; 2^o amor concupiscentix, qui intendit bonum amantis; 3^o amor amicitix, qui est amor benevolentix mutuus, et post se trahit mutuam bonorum communicationem. Datur etiam amor mixtus seu benevolentix simul et concupiscentix, prout amans bonum amati et suum proprium respicit.

2^o Actus Caritatis qui præcipitur consistit in amore benevolentix, seu in illo amore quo Deus super omnia diligitur propter se, seu ratione infinitæ suæ bonitatis et perfectionis. Sed actus Caritatis per se non excludit amorem concupiscentix, imo hic transit in actum perfectæ Caritatis, si Deum sibi utpote summe bonum optet; in hoc enim actu habetur summa Dei appetitio. Igitur amor concupiscentix jungi potest cum amore benevolentix, et amor benevolentix concupiscentiam ordinare ad bonum Dei.

Nec tamen actus Caritatis necessario includit amorem concupiscentix, sed, ut videtur, potest ab illo præscindere, ut in affectu S. Xaverii : *O Deus! ego amo te! Nec ego amo te, ut salves me...* Ratio est, quia amor conformari potest cognitioni; cognitio autem potest Deum hic et nunc

repræsentare præcise, ut omni amore dignissimum, præscindendo a bono amantis. *Reuter, n. 80.*

210. — *R. ad 2^m Quæ.* Amor Dei non debet necessario excludere omnia peccata venialia, decurrente vita; secus enim quis unquam Deum in terris amare posset, si pauci Sancti admodum privilegiati excipiantur? Imo frequentia venialium non obstat quominus præceptum Caritatis absolute possimus adimplere, quia Deus vere diligi potest super omnia, per cæteros actus non peccaminosos. Etenim præceptum Caritatis in hoc nihil aliud exigit, quam ut Deum diligamus appetitative super omnia propter se; utque omnia generatim referamus ad Deum, parati, ex amore benevolenti ejus, omnibus potius carere quam ab illo recedere, et potius mori quam ab illo separari. *Reuter, n. 91.*

211. — *R. ad 3^m Quæ.* Actus amoris Dei hoc vel simili modo elicendus est : *Amo te, Deus meus, ex toto corde, super omnia, quia infinite bonus es et amabilis, et propter infinitas perfectiones tuas summo amore dignus es.* Porro amare Deum est ipsi velle ex animo omnia bona tum intrinseca, ut sunt divinæ perfectiones, tum extrinseca, ut sunt ea quæ ipsi a creaturis proveniunt.

212. — *R. ad 4^m Quæ.* CHRISTIANUS elicit verum Caritatis actum, licet intuitu mercedis egerit. *S. Lig. n. 24.*

Falsum est enim requiri amorem adeo purum, ut omnis amor concupiscentix seu spei excludatur. Nec obstat quod CHRISTIANUS non raro venialiter peccaverit, ut patet ex dictis. Quantum igitur erraverit Confessarius nemo non videt.

CASUS XII.

DE CHARITATE ERGA PROXIMUM.

Amor maternus et conjugalis.

CALPURNIA, numerosæ prolis mater, exoptat ut filiulus recens natus, et alius quinquennis surdus et mutus, et tertius novennis utroque pede claudus, morte corripiantur, ut vita meliori in cœlesti patria fruatur. Item votum facit, ut filia nubilis, sed innupta ob nimiam paupertatem et deformitatem, excedat e vivis, ne periculis peccandi obnoxia remaneat; item ut maritus, sordidus senex, querulus et infirmus, in pace quiescat. Alias, modo iræ, modo pietatis impetu, totam progeniem diabolo vicissim vel Deo devovet, et de medio tolli exoptat. Cum, ecce! ipsamet inexpectato morbo corripitur: interea CALPURNIUS, maritus, cito cucurrit ad monasterium vicinum, petiitque ut, sine mora, preces pro morte uxoris suæ funderentur.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An, vel quomodo peccaverit CALPURNIA in præfatis casibus?*
 2^o *Quid de ejus marito dicendum?*

SOLUTIO :

213. — *R. ad 1^m Quæ.* Non peccavit CALPURNIA in prioribus votis,

scilicet quoad filium recens natum, filium quinquennem et novennem, neque quoad filiam, quia non ducitur sine inordinato, et id quod melius est filiis exoptat. Quare caritatis ordinem minime læsit, neque contra virtutem pietatis ullatenus egit.

2° Peccavit graviter contra caritatem et pietatem, mortem mariti, licet senis, queruli et sordidi, desiderando, quia ex perverso fine cupivit ejus mortem, scilicet ex tædio, impatientia, vel odio in maritum, etc.

3° Peccavit graviter, filiis imprecando eosque diabolo donando, nisi ex iræ impetu, absque advertentia, egerit, vel etiam, ut sæpe fieri solet non serio imprecationes protulerit. Attamen, cum imprecationes ejusmodi ex ira prolatae a filiis audiantur, valde difficile est grave scandalum abesse. Non peccavit autem, exoptando ut familiam totam Deus accipere et inter cœlites collocare dignetur, modo motivo Fidei et pietatis tantum ducta fuerit.

214. — *R. ad 2^m Quæ.* Graviter et gravissime peccavit maritus contra caritatem et pietatem, ut liquido apertum est.

CASUS XIII.

ORDO CARITATIS.

MARINA variis laborat anxietatibus circa ordinem caritatis, quia magis diligit matrem piam et benevolam, quam patrem impium et querulum; plus aliquam sociam valde amicam, quam sororem morosam et parum tractabilem; plus propendit ad benefaciendum pauperibus religiosis, quam fratri ludo et libidini dedito.

HINC :

QUÆR. *An MARINA peccaverit contra ordinem caritatis in casibus propositis?*

SOLUTIO :

215. — *R. MARINA* ab omni scrupulo eximenda, quia licet videatur caritatis ordinem invertere, reapse tamen contra caritatem non peccat. Possunt enim dari rationes respective graves, quæ ab illo ordine exacte servando eximant, juxta communem Theologorum sententiam; atqui gravi de causa inducta fuit MARINA ad ordinem ordinarium caritatis invertendum : ergo... *V. Comp. n. 221 et seq.*

CASUS XIV.

DE ODIO.

ACHARIS, iracunda mulier, vivit in querelis perpetuis cum viro, filiis et vicinis, nec ullum verbum pacifice proferre unquam auditur. Imprimis : 1° impellente ira, mortem tum sibi, tum aliis frequenter exoptat; 2° recusat prior alloqui MARTHAM, vicinam, quacum rixam habuit, ex eo quod illa prior injuriam intulerit. et insuper ætate et conditione inferior sit; 3° si MARTHA ei occurrat, eam neque salutatur, neque mutuam salutem reddit, imo oculos in aliam partem convertit, et si ejus occursum prævideat, aliam viam arripit, ne, ait, novarum querelarum occasio præbeatur; 4° si,

quando pro salutari pœnitentia ipsi injungatur ut preces pro inimicis fundat, eam ut nimis laboriosam recusat; 5° morti propinqua, non vult admittere novercam, veniam de aliqua offensione rogantem, aiens : *Condo, sed nolo ut ante oculos meos compareat unquam.*

HINC :

QUÆR. 1° *An graviter peccaverit in iis omnibus ACHARIS?*

2° *An moriens absolvi potuerit?*

SOLUTIO :

216. — *R. ad 1^m Quæ.* *Affirmative* generatim loquendo.

In primo casu, a multiplici peccato mortali eximi nequit malevola ACHARIS, ut evidentissimum est.

In secundo casu, licet ACHARIS ad MARTHAM alloquendam adhortanda sit, quia, si ignis odii exardescat, fere inextinguibilis erit; attamen ad hoc non est valde urgenda, modo veræ sint excusationes, quas affert. Nulla enim ad id est obligatio ratione dilectionis inimicorum. Ita *S. Th. 3, dist. 30, q. 1, art. 2, ad 5* : « Quod aliquis ultro se ad familiaritatem inimico ingerat, hoc perfectionis est. » — Et *S. Antoninus* : « Si autem (inimicus seu offensor) non exhibet condignam satisfactionem, non tenetur offensus ei loqui, quando scilicet satisfacere aut omnino non vult, aut semiplene. » Posset quidem ad id ACHARIS teneri ob generalem obligationem proximi salutem procurandi, quatenus alloquendo MARTHAM, ad ejus resipiscentiam juvare posset; verumtamen si talis actus non levem pro ACHARI secum ferat difficultatem, caritas gravi cum incommodo non urget, præsertim quando proximus ex mera malitia in malo persistit, ut in casu; hinc, ex hac etiam ratione, poterit obligatio pro ACHARI tenuis esse, ideoque, ut dixi, non valde urgenda.

217. — *In tertio casu*, peccat mortaliter *per se*, si diutius ac sæpe, absque ulla sufficienti ratione, MARTHAM salutantem non resalutet, aut occurrentem semper fugiat : hæc enim *per se* odium, grave significant. Leviter autem peccat, etsi ex odio simplicem salutationem omittat. Nam 1° salutem negare etiamsi debitam, velut inter conjunctos, *per se* veniale non excedit. 2° Salutatio non est commune, sed speciale caritatis signum, ideoque erga eos tantum adhibetur quibuscum speciale intercedit commercium; at si hoc habere commercium liberum sit, cur non liceat a peculiari amicitia et idcirco a salutatione erga aliquem abstinere? 3° Si quæ vero vindictæ species in hoc appareat, animadvertendum nihil vetare quominus in rebus quæ pœnam merentur, non ita tamen ut ad judicem deferantur, *per se* ipsum quis, etsi privata persona, alterius personam puniat.

In quarto casu, graviter peccat; excludere enim inimicos a communibus orationibus, est signum indubium odii gravis, juxta omnes. Quippe idem est ac eos velle excludere a cœlestium bonorum participatione. Non tamen tenemur pro quopiam inimico in particulari orare, juxta Doctores omnes cum *S. Th. qui, de Virt. q. 2, art. 8*, ait : « Non debentur (inimicis) nisi communia officia, et non excludere ab orationibus. » Excipe, nisi forte id ex pœnitentia (quod cautissime, et solum cum personis perspecta ac firma virtute præditis usurpandum est) Confessarius jubeat.

In quinto casu, etiam graviter peccat, si condonatio sincera non sit; de quo dubitare licet, quando ACHARIS, etsi morti proxima, novercam veniam rogantem recusat admittere vel etiam conspiciere. Si tamen sincera sit condonatio, in ACHARI odium erit non quidem inimicitiae, sed abominationis, quod veniale per se non excedit, ut ait, cum aliis, *Kenrick, de Virtut. theol., disp. 29, n. 60.*

218. — *R. ad 2^m Quæst.* Si constet sinceram non esse condonationem ACHARIS absolvi nequit, etiam in mortis articulo, nec salutem æternam consequi potest, cum scriptum sit: *Dimitte, et dimittetur vobis.* Hæc est absoluta et rigorosa conditio ad veniam peccatorum obtinendam. Attamen, si videretur putare se satisfacere et odium abjicere, conditionate saltem absolvi posset.

CASUS XV.

DE ELEEMOSYNA.

CLEONICUS, vir dives et immitis, pauperibus nullas eleemosynas largitur. Nec putat se graviter delinquere, quia novit Theologos non tantum circa præcepti gravitatem, sed etiam circa ejusdem materiam, seu eleemosynæ faciendæ quantitatem, minime concordare. Uxor vero ejusdem, pia mulier, de viri avaritia valde dolens, illo inscio, sat largas eleemosynas in pauperes, vel causas pias effundit.

HINC :

QUÆR. 1^o *An, vel quomodo præceptum eleemosynæ urgeat sub gravi?*
2^o *Quid de agendi ratione CLEONICI et ejus uxoris?*

SOLUTIO :

219. — *R. ad 1^m Quæst.* Præceptum eleemosynæ grave est ex genere suo, uti ex Scripturis colligitur. Quanquam vero gravis obligatio præsertim urgeat etiam de vitæ superfluis in extrema proximi necessitate, atque de statui superfluis in necessitate alterius gravi; attamen ne ille quidem culpa *per se* lethali *probabilius* caret, qui in communi pauperum necessitate nullas unquam de bonis statui superfluis eleemosynas erogaret. *Ita communis sententia Theologorum.*

220. — *R. ad 2^m Quæst.* 1^o Peccat sine dubio CLEONICUS, ut patet ex dictis. Nec excusari potest ex hoc quod non convenient Theologi in determinanda obligatione et quantitate eleemosynæ ad communem pauperum necessitatem sublevandam faciendæ. Quippe omnes obligationem aliquam profitentur; et qui mitiores habentur, ubi adsint vitæ et statui superflua, quæ tamen ingentia non sint, quinquagesimam reddituum partem, ut præcepto satisfiat, in pauperes erogandam putant.

2^o Non videtur culpanda CLEONICI UXOR, ex eo quod, inscio marito, eleemosynas fecere: potest enim ejus obligationi supplere; ordinarias autem et moderatas eleemosynas facere, pro conditionis ratione, uxoribus permittitur; a fortiori id et amplius facere potest uxor, si vir sit valde

dives, et erga pauperes durissimus. Sit tamen prudens Confessarius in dandis hac de re consiliis, caveatque ne uxor in pari casu limites debitos prætergrediatur.

CASUS XVI.

ELEEMOSYNA MALE ACQUISITA.

LUCRETIA, astuta femina, licet egestate non laboret et bene valeat, se pauperrimam et infirmitatibus obrutam fingit. Huc et illuc vagatur, eleemosynas requirens, præsertim ab iis quibus omnino incognita est. Ut divites magis ad misericordiam inflectat, dictitare solet falso, se numerosa prole onerari, et hoc probat ostendendo puerulos non paucos, vestibus laceratis indutos, sed reapse alienos. Hac industria, notabilem pecuniæ summam a quodam divite obtinuit.

HINC :

QUÆR. 1^o *An LUCRETIA graviter peccaverit, et ad restitutionem teneatur?*

2^o *Si restitutio facienda sit, an domino vel pauperibus?*

SOLUTIO :

221. — *R. ad 1^m Quæst.* Certo graviter peccavit LUCRETIA, atque ad restitutionem tenetur; quia, per fraudem, copiosas eleemosynas obtinuit, et proinde injuste acquisivit. Erogantes enim eleemosynas, eas tantum conditionate concedunt, scilicet, supposita vera necessitate. Ergo, non verificata causa movente, donatio seu eleemosynæ elargitio est invalida. Ergo ficti pauperes peccant, et tenentur ad restitutionem. Ergo LUCRETIA restitutionis onus subire debet.

222. — *R. ad Quæst. Controvertitur.* Duplex est sententia probabilis. *Per se* restitutio videretur facienda domino, qui non intendit abjicere dominium rei suæ, nisi petens eleemosynam esset vere pauper. Attamen præsumi potest intentionem ejus esse in eo casu, ut alii pauperes proprie dicti sublevantur. Inducenda est LUCRETIA ad restituendum occulte ipsi domino summam notabilem quam ab eo accepit, licet non videatur ad id absolute obliganda, modo eam sibi non retineat. Modicas autem eleemosynas veris pauperibus elargiatur, cum in praxi propriis dominis restitui nequeant. Imo dicunt plures eleemosynas omnino exiguas seu minimi momenti non esse necessario aliis erogandas, quia domini sunt minus inviti, præsertim si fictus pauper minime ex iis ditior evaserit. *S. Lig. de Justitia, n. 622. — V. Comp. de Just., n. 649.*

CASUS XVII.

CORRECTIO FRATERNA 1^o.

GERINUS, vir timoratæ conscientiae, jugi laborat anxietate circa obligationem correctionis fraternæ. Zelo accensus *opportune et importune arguit, obsecrat et increpat* peccantes contra leges Dei vel Ecclesiæ, v. g.